



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXXXIX. Ioannis Papae VIII. Ad Michaellem Regem Bvlgarorum.
Agit Deo gratias, quod legatos ad se miserit, doctrinam ecclesiasticam &
canonica instituta recepturus. hortatur vt ad Romanam ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

EPISTOLA CLXXXIX.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD MICHAELEM REGEM BVLGARORVM.

Agit Deo gratias, quod legatos ad se miserit, doctrinam ecclesiasticam & canonica instituta recepturus. hortatur vt ad Romanam ecclesiam redeat. & si ei placuerit, se legatum missurum pollicetur.

Dilecto ac spiritali filio Michaeli glorioso regi Bulgarorum.

QVANTÆ pietatis & miserationis suæ largitate vos omnipotens Deus dilexerit, narrare quis sufficiat carissime fili? Quando per infusionem sancti Spiritus sui in cor vestrum vnigenitum Filium suum, per quem omnia visibilia & inuisibilia condidit, vobis clementer reuelare dignatus est; mentemque vestram claritatis suæ lumine irradiare, & de tenebris ad veram voluit perducere lucem, veræque fidei dogmate suo docere. Ipsius etiam gratia vobis reuelante, ad sedem beati Petri apostolorum principis, quæ caput, & magistra omnium ecclesiarum Dei existit, & a qua omnes reges & principes verbum veritatis acceperunt, legatos vestros, Petrum scilicet cognatū vestrum, & Ioannem atque Martinum, prædecessoris domni nostri Nicolai beatissimi præfulis tempore direxistis, vt & vos inde doctrinam ecclesiasticam atque canonica instituta reciperetis, vbi totius ecclesiæ Christus posuit principatum: quod nimirum, secundum vestram voluntatem, ab eadem sancta Romana ecclesia promeruistis. Nunc igitur vos, quasi propriam gregis dominici ouem nobis in ipso apostolorum principe commissam, vtpote carissimum filium nostrum his nostri apostolatus literis visitamus, & nostris apostolicis spiritaliter amplectimur vlnis; assidue vos cum omni populo vestro sacris orationibus nostris Domino commendantes, vt ipse, qui vobis gloriosum in terris tribuit principatum, tribuat & post mortem caeleste regnum, & gloriam sempiternam. Quapropter moneamus gloriam vestram, vt ad sanctam matrem vestram Romanam ecclesiam deuota mente, libentique animo redeatis; vt apostolorum sanctorum precibus adiuti tam visi-

* f. desij.
quam in-
uilibiles

biles inimicos * facile superare possitis. & quia vos, vt prædictum est, multum diligimus, nostrum ad vos volumus cum sedis apostolicæ visitatione dirigere legatum, visitare que vos, sicut pastor visitat gregem domini sui sibi commissum: si tamen cognouerimus voluntatem vestram, quod nostram cupiatis recipere legationem, & apostolicam visitationem. Quod si volueritis, per hunc Ioannem venerabilem presbyterum fidelem nostrum, nobis sub certitudine literarum vestrarum remandare curate dilectissime, atque amantissime fili. Omnipotens Deus, qui vobis viam veritatis ostendit, & lumine suæ claritatis cor vestrum illustrare dignatus est, nunc & semper cum omni prosperitate & salute vos conseruare dignetur incolu- mem. Data VI. Idus Iunias, indictione XII.

EPISTOLA CXC.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD SALONITANOS CLERICOS.

Monet vt ad gremium Romanæ ecclesiæ reuertantur; & electus ab eis archiepiscopus consecrationem & pallium a se, & non ab alio accipiat. vtque legato quædam verbis relatuero fidem adhibeant.

Reuerendissimis & sanctissimis episcopis Vitali Adransi, Dominico Absorensi, ceterisque episcopis Dalmatinis, seu Ioanni archipresbytero sanctæ sedis Salonitanæ, omnibusque sacerdotibus & senioribus populi habitatoribus Spalatensis ciuitatis, atque Zadarensis, ceterarumque ciuitatum.

PASTORALI solitudine moti, vos quasi oues dominicas nobis in beato Petro apostolorum principe commissas dicente Domino: *Si diligis me Simon Petre? Pæ-* Ioan. 21.
se oues meas; licet pro assidua gentium persecutione nunc vsque impediti, his modo apostolatus nostri literis visitare curauimus, admonentes fraternitatem vestram, vt more præcessorum vestrorum, ad sedem beati Petri apostoli, quæ caput & magistra est omnium ecclesiarum Dei, & ad nos, qui ei diuinitus præsidemus, toto animo, libentique voluntate reuerti studeatis: quatenus inde summi honorem sacerdotii, & totius institutionis ecclesiasti-

Concil. Tom. 24.

Cc ij